



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, M.DCCXI

§. I. Vtriusque sententiæ fundamenta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84777](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84777)

SECTIO II.

An leges Pontificiae obligent etiam ubi non sunt promulgatae.

§. I.

Utriusque sententia fundamenta.

SUMMARIUM.

Decreta alia purè legislativa, alia purè declarativa, alia mixta, n. 39.

Leges Papae ut declarativae obligant etiam ubi non promulgatae, ibid.

Tota quaestio de legibus, ut purè legislativis, n. 40

Legis definitio, n. 41.

Rationes, & DD. tuentes, & negantes obligare, ubi non sunt evulgatae, à n. 41. ad 44.

N.
39.

Adverte inter Decreta ex Cathedra, alia esse purè legislativa, quatenus præcipiunt, vel prohibent aliqua omnibus Fidelibus, alia esse purè declaratoria, quatenus purè manifestant aliquam veritatem, sive circa materiam fidei, sive morum; alia esse declaratoria simul, & legislativa, quatenus non tantum aliquid declarant, sed etiam prohibent, puta, declarant opinionem esse scandalosam, & prohibent, ne doceatur, qualia sunt utriusque Alexandri, & Innocentij Decreta, quæ præterea sunt comminatoria, quatenus minantur excommunicationem ipso facto ab inobedientibus incurredam. Jam certum est omnes Doctores, sive sententiæ affirmantis leges Pontificias obligare, ubi non sunt promulgatae, sive illud negantis, convenire debere in hoc, quod leges Pontificiae, quatenus declarativae, obligent etiam, ubi non sunt promulgatae; & ideo Tridentinum, etiam ubi non est promulgatum, obligat quoad definitiones, & dogmata. Hinc nescio, quo fundamento aliqui apud Torrec. diff. 3. à n. 2. dixerint, quod Decretum Alexandri VII. ne quidem ut declarativum, obliget in Hispania, multò minùs ut prohibitivum, quod certè malè auditur. Quare tota quaestio inter utriusque sententiæ DD. reducitur ad leges Pontificias ut legislativas, an dummodo certò moraliter constet tale Decretum, ut legislativum, fuisse Romæ promulgatum, obliget ex. gr. Hispanos, ubi non est promulgatum; an verò ut obliget Hispanos, debeat esse in Hispania promulgatum; imò Matriti, ut obliget Matritenses?

N.
40.

Caiet.
Sorus.
P. Mol.

Diana.

Affirmant, necessariam in singulis Diocessibus promulgationem, ut Decretum, quatenus legislativum, singulos obliget, Caiet. 1. 2. quaest. 90. art. 4. M. Sorus lib. 1. de Justitiâ quaest. 1. art. 4. P. Molina tom. 2. de Justitiâ tr. 2. d. 395. & alij primæ notæ Authores apud Dianam p. 1. tr. 10. de Legibus

resol. 8. quibus addo P. Gibal. lib. 7. de Scientiâ Canonica cap. 2. qu. 1. n. 7. & plurimos Scotistas, inter quos Wigers q. 94. & Mastr. d. 2. Theol. Mor. n. 104. quibus subscribunt illi, qui post Decretum Alexandri VII. in Hispania non promulgatum, docuerunt opiniones ab eo damnatas: hanc opinionem probabilem reputant etiam Adversarij; ita P. Lessius, P. Vasq. P. Granado, Lumb. Torrec. diff. 3. n. 53.

Primum fundamentum sumunt à priori ex legis definitione traditâ à S. Th. 1. 2. quaest. 90. art. 4. Est ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo, qui curam habet communitatis, promulgata: sed sic est, quod per solam promulgationem legis Pontificiae Romæ factam, lex non potest dici promulgata; debet enim ita esse promulgata, ut reus à Iudice puniendus nullam ejusdem legis ignorantiam obtendere possit, immò ita promulgata, ut iudex possit de certâ legis notitiâ reu convincere; ad hoc autem est insufficiens sola promulgatio Romana: ergo ut leges Pontificiae ubique obligent, debent esse ubique promulgatae. Confirmant ex Jure Canonico cap. Cum infirmitas, de Panit. & Remiss. quod decernit legem à Concilio Generali contra Medicos latam non obligare eosdem, nisi à locorum Ordinarij fuerit promulgata: ergo idem de alijs legibus Pontificijs.

Secundum est à paritate Juris Civilis, cuius leges certum est non obligare, nisi in pluribus civitatibus promulgetur proportionally ad Imperij amplitudinem, cui Legislator præest: ergo cum nullum amplius Imperium detur eo, quo Pontifex gaudet, insufficiens omnino erit sola promulgatio Romæ, ut lex Pontificia omnes Fideles, etiam in extremis Indorum oris degentes, obliget.

Negant necessariam singulis in Diocessibus legum Pontificiarum promulgationem, immò satis esse, si Romæ tantum sint evulgatae, ut omnes Fideles alibi degentes, ab illis obligentur. Ita P. Suar. lib. 4. de Legibus cap. 15. per totum, Diana l. c. & apud eum alij, quibus addo P. Palao tom. 1. tr. 3. d. 1. p. P. Pala.

12. n. 2. qui universaliter de quacunque lege Canonica hoc tueretur, Torrec. l. c. M. de Mart. de Prado in Theolog. Mor. cap. 3. de Prado, Legibus quaest. 5. §. 4. M. Tapia tom. 1. lib. 4. quaest. 4. art. 3. n. 5. Herinx tom. 2. d. 3. de Legibus n. 109. Filg. in Centurâ pag. 21. qui cum P. Card. tom. 1. d. 9. cap. 20. art. 11. & tom. 4. diff. 1. n. 199. judicat sententiam oppositam modò esse antiquatam, Diez de Prado 1. p. §. 7. n. 5. P. Moy. tom. 1. tr. 3. d. 8. quaest. 6. n. 21. qui specialiter tueretur hoc de Decretis fidei, & morum, & alij TT.

Absti-

N. 44. Abstineo ab illis rationibus, quæ unicè probant, satis esse certam aliquam in loco promulgationem, ad hoc ut Decreta Pontificia, quatenus declarativa, ubique obligent, dummodo certò moralis notitia de talis Decreti promulgatione habeatur. Dixi enim nullam in hoc esse controversiam, cum etiam DD. primæ sententiæ hoc supponant, & non possint non supponere. Ego enim attentè legi Caietanum, Sotum, Molinam, qui omnes, esto necessariam velint promulgationem hic ut hic obligent, attamen non loquuntur de legibus datis pro totâ Ecclesiâ, & circa materiam fidei, & morum; immò et si de his loquerentur, posset per promulgationem intelligi certitudo moralis de publicatione factâ Romæ. Quare illas tantum pro secundâ sententiâ traham rationes, quæ probant Decreta Pontificia non egere publicari ubique, ut ubique obligent. Præcipua autem est, quia ex una parte, de essentiâ legis nō est promulgatio ubique, sed tantum est promulgatio, ut constat ex definitione D. Th. ex aliâ parte, ex nullo jure positivo inferitur necessitas promulgationis ubique; neque enim Papa subiectus est Juri Civili, immò supra illud est, & illud in pluribus correxit, ut videri potest in P. Azor tom. 1. lib. 5. & P. Gibal. tom. 1. lib. 4. ergo non est de necessitate legis ad hoc, ut ubique obliget, ut ubique promulgetur: addo experientia constare Fideles ubique obligatos per solam promulgationem factam Romæ; nam, ut bene P. Suar. & P. Palao n. 2. plura Juris Canonici Decreta, Decretalium, Sexti, Clementinarum, Extravagantium, Tridentini, obligant ubique, esto ubique non sint promulgata: similiter Bulla Cœnæ solum Romæ publicatur, & ubique obligat: ergo non est de necessitate legis Pontificiæ, quatenus præceptiva, aut prohibitiva, ad hoc, ut ubique obliget, ut ubique promulgetur. Argumenta opposita solvit diligenter Palao à n. 5.

§. II.

Monita pro meâ sententiâ.

S U M M A R I U M.

Lex quid? dicitur à ligando, n. 46.

Quomodo differat à præcepto, ibid.

Non est de essentiâ legis, ut minetur culpam, & poenam, ibid.

Promulgatio quid? Est de essentiâ legis, n. 47.

Lex supponit dominium jurisdictionis, n. 48.

Aliter discernendum de Decretis Pontificiis pure prohibitis, ac de prohibitis, quia de Tom. I.

clarativis, n. 49.

Aliud est, obligor tibi hic, aliud, obligor à te hic, n. 50.

Utilitas hujus doctrine, n. 51. 52.

Lex obligat independentè ab acceptatione, n. 53.

Monco primò lectorem, ne superficiali oculo transcurrat, quæ in hoc §. dicturus sum; cum enim ratio cogat me ad novum discurrendi modum, posset me, vel de novitate in re tam gravi accusare, cum tamen mihi nihil antiquius sit, quàm, ut sive nova, sive antiqua placere non possint, nisi quia vera; & inter utraque æqualiter constitutus, veneror antiqua, & timeo nova; vel de falsitate causare, cum tamen cum in finem unicè etatem, & animam inter libros triverim, ut ex æterno Veritatis fonte meum in intellectum aliquis sanæ doctrinæ rivus descenderet.

Monco scundò ex D. Th. 1. 2. qu. 90. art. N. 1. & P. Suar. lib. 1. de Leg. cap. 1. n. 9. P. Salas 46. d. 1. de Leg. sect. 1. qu. 1. legem dici potius à li- D. Tho. gando, quàm à legendo; nec est nisi regula P. Suar. actuum humanorum, quâ quis obligatur P. Salas, aliquid facere, aut omittere. Differt à præcepto, quod lex fertur communitati, præceptum autem fieri potest singulari personæ; unde *Lege prima ff. de Leg.* dicitur: Lex est commune præceptum; & ideo P. Suar. l. c. cap. 12. definit legem dicens, Est præceptum commune, justum, ac stabile, sufficienter promulgatum: differt etiam, quia lex est perpetua, non enim cessat mortuo legislatore; contra præceptum, mandatum, statutum cessat amotione præcipientis, vel morte ejusdem, ut habetur in *Lege mandatum*; mandatum finitur morte mandantis, ut bene M. Tapia tom. M. Tap. 1. lib. 4. qu. 5. art. 2. Ex quâ D. Th. definitione in Tr. de Incarn. intulimus contra M. Victor. Lorcan, P. Esparza qu. 32. Card. Pallavicinum n. 134. P. Haunoldum, non esse de essentiâ legis strictæ, esse cōminatoriam culpæ, & poenæ propter culpam, sed satis esse, ut aliquis obligetur ad aliquid agendum, aut omittendum, non autem necesse esse potentiam ad legis transgressionem, seu ut subditus sit capax peccati. Hinc cum modestissimo, & doctissimo viro M. Godoy (cujus volumina mihi instar bibliothecæ sunt) d. 49. à n. 48. in 3. p. dixi in lege duplicem distinguendam esse vim, aliam directivam, quâ subditus ligatur ad rem præceptam, aliam coactivam, quâ ad poenam; illa est de essentiâ legis, non hæc; imò ibidem notavi ex eodem, quod licet legislator non subijciatur legi quoad vim coactivam